





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE

40  
**DENTIBUS  
SEROTINIS  
SIVE  
SAPIENTIÆ VULGO DICTIS,**

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſa Facultatis Medica,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R Æ S I D E  
PRORECTORE MAGNIFICO

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-  
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.  
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*Domino Parrono, Præceptore ac Promotore ſuo, omni honoris cultu proſequendo,*  
PRO GRADU DOCTORIS  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,  
HORIS LOCOQVE CONSUETIS,

ANNO MDCCXXXVII D. AUGUST.  
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET  
A U C T O R

**ANTON PETRUS DEICHMANN,**  
HALENS. MAGDEBURGICUS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO IN AURICULA MEDICA

# DE DENTIBUS

## DISSERTATIONIS

SABINI & VILGO DITTI

ALMA MATER UNIVERSITATIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS

DN. D. MICHAEL ALBERTI

ALMA MATER UNIVERSITATIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS

PRO GRADU DOCTORIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS

ALTON CLEVES DEICHMANN

ALMA MATER UNIVERSITATIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS  
ALMA MATER UNIVERSITATIS





V I R O

*Prænobilissimo nec non Doctissimo atque Æstus-  
matissimo*

D O M I N O

FRIDERICO WEICH-  
MANN O,

RECTORI GYMNASII ST. MARTINI BRUNSVIC.  
SUMME OLIM MERITO, NUNC VERO ÆTATE ET  
CANITIE VENERANDA ORNATO EMERITO.

NEC MINUS

*Illustri Excellentissimo & Doctissimo  
ejus Filio dilectissimo,*

D O M I N O

CHRISTIANO FRIDE-  
RICO WEICHMANN O,

SERENISSIMO DUCI BRUNSVIC. ET LUNE-  
BURG. A CONSILIIS AULICIS AC SECRETIS SANCTORI-  
BUS, CONSISTORII BRUNSVIC. DUCAT. CONSILIARIO,  
REGIÆ SOCIETAT. SCIENT. BRITANNICÆ SOCIO  
ATQUE JURIS IN ACADEMIA OXONIENSI  
BACCALAUREO, ETC.

*Dominis Patronis, Agnatis, ac Mæcenatibus  
ad cineres usque colendis.*



*Viri Præclarissimi Patroni, Agnati, Mæcenas  
tes æstumatissimi omni honoris cultu ac Pie-  
tate æternum venerandi.*

**N**on inique Majores nostri egerunt, si  
inventa sua, ingenique fœtus, vel Pa-  
tronis vel amicis intimis dedicarunt:  
recordatio enim & beneficiorum & a-  
micitiãe animum excitant, vinculum illud per  
gratæ mentis declarationem arctius nectere.  
Si itaque antiquitas in hoc bene egit, me quo-  
que bene agere persuadeor; cum *Vobis Viris  
clarissimis, Agnatis integerrimis, Patronis &  
Mæcenatibus æstumatissimis* hæc primitias  
meas offero. Morem itaque antiquitatis reti-  
nere mihi liceat, & quamquam sero primitias  
meas *Vobis* trado, meque insuper verba illa  
AUSONII in carminibus suis ita canentis deter-  
rere possent;

*Gratia, quæ tarda est, ingrata est; gratia namque  
Cum fieri properat, gratia grata magis.*

tamen animus meus longe firmiori fiducia in-  
nixus,



nixus, nequaquam ulla aliqua re titubans red-  
ditur, neque memoria tam insignium bene-  
ficioꝝ unquam oblivione delebitur, sed us-  
que in mortem durabit. Et hæc memoria a-  
nimo meo fuit incitamentum, ut amorem  
meum filialem, *Vobis*, qui me amore pater-  
no semper amplexi estis, hac primi mei speci-  
minis, quod de dentibus ferotinis, sapientiæ  
vulgo dictis, agit, dedicatione submisisse decla-  
rem. Sane animi *Vestri* in nostram fami-  
liam ardenti amore incensi flagrarunt, & fla-  
grant, & *Tu Venerande Senex*, caput *Tuum*  
quidem veneranda canities obtegit, & extus  
omnia frigent; intus tamen animi sinceritas  
& amor genuinus flagrat. Hunc amorem ge-  
nuinum erga agnatos vestros satis superque  
declarastis. Domus namque *Vestra* amantis-  
simum meum fratrem natu majorem per ali-  
quot annos aluit, & *Tu, venerande Senex*, il-  
lum bonis ac salutaribus scientiis atque litte-  
ris instruxisti; præterea quoque celeberrima  
Domus *Tua* me suscepit, hæc itaque memo-  
ria, qua nihil acceptius unquam esse potest,  
semper grata & accepta in animis nostris flo-  
rebit. Nam ex ore *Tuo* doctissimo doctissi-  
ma quæque haurire pergratum atque jucun-  
dum mihi semper fuit. Taceo reliqua bene-  
ficia



ficia fere innumera, quæ in me meamque familiam collocastis. Nihil reliquum mihi manet, quam ut gratias, quas habeo maximas, *Vobis* agam. Deus, qui est fons & scaturigo omnium bonorum, *Vos Agnatos Æstumatissimos* innumeris beneficiis obruat, totam *Vestram* splendidissimam familiam fortunatam reddat, & *Vos* ad seram senectutem incolumes traducat, quo ego vestro patrocinio & insigni amore amplius suffulciar; hoc est, quod submisisse mihi expeto. Valete & favete

*Viri Præclarissimi ac Doctissimi Patroni,  
Agnati, Mæcenates Æstumatissimi,*

*omni honoris cultu ac pietate æternum  
venerandi,*

Dab. Hal. M. August.  
MDCCXXXVII.

Vestro Agnato

& humillimo cultori

ANTON. PETR. DEICHMANNO,  
Halenf. Magdeb.





## PROOEMIUM.

### §. I.

**C**ujusvis est hominis errare, nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. Hoc est esatum sapientis Ethnici Ciceronis, & idem, est, quod saniores Philosophi consentitur & adfirmant.

### §. II.

Errores vero, quos homines frequentissime tota vita committunt, sunt generatim considerati vel leves vel ardui vel levissimi. Leves, qui in actionibus nostris naturalibus, œconomicis, politicis; & similibus a recta ac brevissima via nos deducunt, & sæpissime damnum inferunt. Ardui, ubi in principiis religionem, & id, quo leges divinæ obligant, erroneas fovemus cogitationes. Levissimi autem, si in verbis & denominationibus erramus, nam ad proverbium illud, sumus in verbis faciles.

### §. III.

Quid vero hoc ad me, cum de dentibus sapientiæ acturus sum, quomodo huc quadrat, optime dico.

### §. IV.

Si enim considero, atque perlustro denominationem



tionem dentium sapientia, falsam nec adequatam eam deprehendo. Rei vero cuidam non conforme nec congruum nomen adjicere error est. Cur ferotinos illos dentes, sapientia dentes nomino? forsam sapientiam aut conciliant, aut saltem adaugent? minime, nec adferunt, nec illam adaugent, ubi enim nulla adest, ibi hisce dentibus non introducitur. Nominamus fortasse illos eam ob causam sapientia dentes, quia illa aetatis periodo prorumpunt, qua ingenium, Judicium omnesque animi vires magis vigent, florent, atque indies augentur? Hoc quidem optimum denominationis fundamentum esse videtur, sed neque sufficiens neque conveniens.

§. V.

Qua propter optimum esse duco, adequatum nomen iis adjicere, illosque ferotinos dentes molarium ultimos nominare. Sed mitto haec & unicuique libertatem suam in denominando relinquo. Meum autem est, ad rem ipsam perlustrandam progredi, ad ferotinos igitur hosce dentes explicandos me converto.

§. VI.

Id autem, quod animo meo incitamentum fuit, hisce pagellis haec occasione indicare placet, quod haec functio, dentium generationi in primis aetatis periodis dicata, in provectiores annos extendatur.

§. VII.

Ut autem hoc propositum, quo insuper in microcosmo magnalia depradicare contendo, auxiliante summo numine, rite perficiam, idque ad votum succedat, est, quod humillime mihi expeto.

C A P.



C A P. I.

*De Dentibus serotinis s. sapientiæ  
in genere.*

§. I.

**F**Retus igitur cœlesti auxilio, vela tractationis meæ nunc pando, & primum, antequam ad deductionem ipsam progredior, descriptionem horum dentium offero.

§. II.

Dentitio itaque sera est actus naturæ, quo dentes molares ultimos sapientiæ dentes alias dictos proveftiori ætate auctiori motu humorum congestorio in hominibus præcipue cholericis sanguineis & vice versa, haud sine consuetudinis protrudit, indicio, quod amplius delectetur, inhabitare corpus suum, quapropter novis instrumentis illud exornat.

§. III.

Hæc est descriptio specialis horum dentium; generalem vero dentium definitionem unicuique satis innotescere arbitror, quam ob rem illa, ne limites meos transiam, hic facile supersedere possum.

§. IV.

Nunc quo fundamento innitatur res, cum dicitur, dentitionem actum naturæ seu principii rationalis esse, veritas quidem satis clara atque evidens est; sed illam sequentibus argumentis magis firmare consultum duco.

§. V.

Nam si ad primam formationem in utero materno  
B rede-



redeam, quisnam ibi artista artificiosissimi corporis nostri fuit? fuimus forsán concrementum carnosum atque ossium ex quavis occasione coalitum & in talem elegantem & admirandam structuram redactum? aut quæso, quomodo tam mirabile & ad omnem sapientiæ divinæ normam structum opus ex improvísio, nullo, nec artifice, nec gubernatore accedente, coalescere potuit? non video.

§. VI.

Forsán ex necessitate aliqua cæca a vermiculo quodam caudato primæ magnitudinis tam elegans atque formosa machina fabricata est? sapiens utique talis esset vermiculus, qui ædificium suum tam speciose tamque formose exstruere dicitur, ut omnino admiratione dignus esset; si existeret; unde huic tanta sapientia? quis hic non intelligit, ridiculas hæc meditationes & abjectissimas conjecturas; & longe aliud principium, quod hoc ædificium exstruit, superesse.

§. VII.

Forsán aliquid inest materiæ seminali, vel lineamenta ac rudimenta primordialia rem conficiunt? quæ in ovulo materno conspicua jamjam esse dicuntur, & deinde ulterius accrementum post conceptionem sumunt. Quidquid vero materiæ huic inest, & hocce ædificium elegans exstruat: tamen ex hoc formoso & ad regulas sapientiæ & artis constructo ædificio evidentissime adparet, principium ratione præditum ipsius architectum fuisse. Quale autem illud sit, ibi facile quispiam hærerere poterit, ut plerumque de hoc principio obscura sæpe proferantur.

§. VIII.

Has vero alienas meditationes merito rejicio, quia  
vix



vix aliqualem utilitatem adferunt, unde ad veriora fundamenta me converto, inquirens, quodnam genium formationis nostræ in utero sit principium.

§ IX.

Est vero illud propria anima, eaque rationalis, quæ divina virtute verbi a summo creatore ad protoplastos proclamati, tam sapienter tam egregie ac ordinate habitaculum suum, quod per omnem vitam inhabitat, extruit, ornat, atque amplificat. Quod vero interdum nonnullos errores in extruendo committat, miserrimo tristissimoque lapsui tribuendum esse, judico.

§ X.

Ethoc illud idem est principium, quod etiam suum ædificium structum, factum, tectumque sub regimine Celsissimi per omnem vitam conservat, seque in amplificando corpore & in casu necessitatis, in formandis novis membris, ossibus & aliis circumstantiis operosum semper exhibet.

§ XI.

Hoc itaque etiam hosce dentes serotinos singulari robore construit, quod vero non ex necessitate aliqua accidit, ita, ut dentes, quo ad omnia rudimenta in alveolis suis, tamquam seminum in receptaculo suo, & quod humoribus accedentibus intumescat, latitantes prorumpant, & progerminando incrementum capiant. Sed motu humorum ad locum congruum congestorio justo tempore successive perficit. Struit igitur natura novos, unam particulam ad alteram apponendo, ita, ut consistentiam, substantiam & duritiem adæquatam dentes servent.



§. XII.

Hi dentes in nonnullis hominibus sine discrimine sexus, ætatis, & conditionis, tam in viliori, quam nobiliori vitæ genere constitutis, proveniunt. Quoniam vero unius hominis naturalis vigor agilior est, hinc etiam cholericofanguinei, & sanguineo-cholericis, non exclusis sanguineo-melancholicis, præ aliis hisce dentibus sero exornantur. Nam eorum sanguis facili & minus impedito cursu circumrotatur, & omnia in iis sunt expeditissima, quapropter etiam vegeta natura, quæ delectatur, corpus suum amplius inhabitare, hoc suum ædificium novis instruit armis. Contra vero eminenter in Melancholicis & Phlegmaticis, ubi omnia aut cunctantur, aut torpent ac languent, principium vitale sopore quasi premitur, & non adeo in obscuro & anxio suo domicilio ad liberas actiones excitatur, quam ob rem illud etiam hæc ætatis periodo instrumentis hisce necessariis raro exornat, sed jam in secunda dentitione circumspicte omnia ita perfecit.

§. XIII.

Cur vero vocantur dentes sapientiæ? sapientiæ notationem hanc ob causam iis tributam esse videtur, quia ea ætatis periodo, (ut jam in antecedentibus indicavi) proveniunt, qua iudicium maturitatem assequitur & homines magis sapere inchoant. Quia vero sapientia, iis prorumpentibus neque augetur, neque acquiritur, nec ipsis dentibus tribuenda est, sed omni studio jamjam acquisita esse debet, insuperque etiam non privative certa, sed alia etiam ætatis provectioris periodo dentes prorumpunt, hinc multo magis dentes serotinos, quam sapientiæ illos nominandos esse, censeo. Ast etiam hic stat pro ratione volun-



luntas. Molares vero dicuntur, quia, ut lapis molaris omnes species frumenti conterit & conquassat, farinamque elicit, & ad usum nostrum molando præparat; sic etiam hi dentes omnes species ciborum conquassando, conterendo, ac comminuendo permolant. Et ad massam pultaceam redactos officinæ ventriculi demandant.

§. XIV.

Ad causas vero, ut progrediar, cur tam sero prorumpant, & non statim primis annis societati reliquorum sese jungant, puto, quod primo, primis annis natura non opus habeat ejusmodi duris & altius radicatis dentibus; provectoribus vero adpropinquantibus annis eam iis firmioribus instrumentis indigere, quibus cibos solidos, duros atque compactos, lapideæ fere consistentiæ e.g. nuces, quæ molarium etiam auxilio aperiuntur, itemque carnes induratas ac fumo obfirmatas multosque alios, quibus hisce annis maximo adpetitu homo vescitur, eo melius contundere & comminuere possit.

§. XV.

Secundo, ut jam indicavi, ob temperamenti rationem. Nam sanguineo-cholericus & vice versa, itemque sanguineo-melancholicus præ aliis citius dentunt, sed facilius etiam serotinos dentes obtinent & quidem facili opella, de quo causas §. XII. jam jam allegavi.

§. XVI.

Ad ordinem vero horum dentium referuntur, præcipue molarium ultimi, *Conf. RHODIUS Cen. I. obs. 93. 94.* Octavo supra vicefimum ætatis anno refert auctor magno eum dolore, nec sine febre dentem molarem sibi excrevisse retulit Abbas Robertus Papafava; itemque sine febre quarto & tricesimo anno Æmiliæ sorori, matronæ su-



pra sexum prudentissimæ, pergit auctor, Hospes meus annos triginta nato idem refert de se, ejusdemque sorori, Anno vigesimo quarto cui idem contigit. Quarto autem septenario dentes renasci plerisque hominibus duos, qui sapientiæ adpellantur, auctor est HIPPOCRATES *libro I. de principijs obs. 92.* Sic RHODIUS de sene nonagenario refert, huic dentes aliquot, omnibus prius amissis, renatos esse. Et mulieri octoginta annorum idem contigit. Dentes renasci negat VALVERDA; plura allegat exempla JOAN. SCHENCKIUS. Nonnulla quoque exempla de maxillaribus ferotinis dentibus allegant, *Acta Eruditor. Lips. it. BORELLUS Cent. III. obs. 13.* sequentibus verbis hos dentes inducit: Nascuntur dentes hominibus non solum ætatis anno septimo, sed quandoque in ætate satis proveستا, sic D. Henrico anno vigesimo primo ortus est dens, post nimium tabaci usum, & alios vidi adhuc provectoris ætatis, immo ad senectutem vergentes, quibus idem contigit. Hi autem dentes, sapientiæ dentes vocari solent, quod in ætate, qua homines prudentiam quandam habere debent, oriuntur. Nec abest ab illis dolor ob gingivæ duritiem, quare non mirum, si pueris dolor magnus in dentitione prima accidat. it BORELLUS *Cent. II. obs. 81. & Cent. III. obs. 81.* sequenti modo hac de re loquitur: Vetulam vidi, cui cum ingenti dolore dens molaris natus est, quod testatur, omni tempore dentes nasci posse, neque adeo facile in adultis ob gingivarum duritiem nasci ac in pueris; aliam quoque vidi, in cujus palati medio dens natus erat; & multos quoque vidi senes, qui auditum, visum, & ambulandi potestatem a longo tempore cum amississent, in decrepita tamen senectute



Et tunc hifce omnibus, quasi juvenafcentes, fruebantur, adeo, ut nec conſpicillis nec baculo egerent.

§. XVII.

Non autem molares ſolum ſunt ſerotini dentes, ſed interdum quoque canini ſero prorumpunt, de quibus conferantur *Aſta Natur. Curioſ. Decad. II. an. 10. obſ. 134.* ubi ſingulare quoddam exemplum octogenarii allegatur, cui canini dentes ſunt renati. Sic etiam *Cent. I. pag. 197. adp. it. Cent. I. an. 10. obſ. 112. 171.* de nonnullis, quibus dentes renati ſunt in ſenectute, loquuntur; & in ſenibus decrepitis reſtitutionem deſcribunt *Cent. I. pag. 197. adp. Virgo nobilis cui ſexageſima natu, molaris ultimus naſcebatu*, quem *σφραγις* vocare anatomici ſueverunt, ſera ſic ſatis ſapientia; it. in quinquagenario molaris erumpet *Decad. III. an. 1. obſ. 28.* & molares in ſcemia quinquagenaria & ſupra, aliis ſupercrescentes; & *Cent. I. obſ. 107.* Mercenarius quidam anno nonageſimo tertio cæcus factus eſt, anno nonageſimo quarto amiſſis dentibus omnibus in maxilla inferiori magnis cum doloribus dentem accepit, quem poſt quatuor ſeptimanas iterum exſpuit.

§. XVIII.

Porro *Aſta Nat. Curioſ. Dec. I. an. 10. obſ. 112. 171. pag. 388. Dec. I. pag. 197. adp. & Dec. II. an. 9. obſ. 212.* in ſene decrepito it. *Dec. III. an. 5. 6. obſ. 268.* ſcribunt. Uti pauciſſimi e noſtris nonageſimum quartum annum attingunt, ita vix me legiſſe memini, eos, qui apud nos ad id ætatis tempus pervenerunt, pueris etiam in hoc ſimiles factos, ut iterum dentire inciperent. Anno ætatis quadrageſimo tertio Cardano dens renatus eſt, ut ipſe teſtatur. Anno quadrageſimo tertio, quarto, & quinto, militi cuidam apud



apud Conciliatorem, anno sexagesimo tertio nonnullis aliis de quibus SENNERTUS. Anno septuagesimo quinto contigit id cuidam de quo *conf. Act. Anglican. translac.* Anno octuagesimo, *conf. ARISTOTELES*; Anno octuagesimo primo & octuagesimo octavo vid. *Act. Anglican. translac.* post annum quartum & centesimum cuidam Samoethraceno civi in Fionia seni anno centesimo quadragesimo accidit. Singulare quoque senis annorum CXVIII. dentitientis exemplum allegatur in *Actis Nat. Curios. Dec. II. an. 3. obs. 15.*

§. XIX.

Multa igitur exempla de dentitione fera passim prostant. Ut vero ex aliis quoque auctoribus nonnulla allegem, sequentia notatu digna in medium proferam. *Acta Erud. Lips. de sapientiæ dentibus* scribunt: anno MDCCXXXVII. *Mens. August. pag. 352.* & KORNEMANN in libro *de miraculis vivorum pag. 92.* de senibus, quibus dentes renati sunt, ita loquitur, hæc adeo raro fiunt, ut non videas e multis millibus unum, neque id miraculo esse potest, neque ad monstrum pertinet, potius miraculum naturæ fuerit, senibus dentes renasci. Zancli Samoethraceno post centum & quatuor annos dentes renatos esse, testatur MUTILANUS PLINIUS *lib. II. cap. 37.* Tempore Ludovici, Ducis Sabaudicæ penes Carignanum in castro Ragnerio Domino Michaeli de Romagnano excedenti nonagesimum annum renati sunt quasi omnes dentes. Anno MCCCCLXXXII. cum Imperator Carolus quartus ad Rhenum degeret, nocte quadam dens molaris in somno ei excidit, & loco ejus in momento alius succrevit, quod cunctis admirationi fuit, erat enim Imperator æta-



ætatis suæ anno septuagesimo primo. RHODIUS *de senenonagenario* scribit, illi dentes aliquot renatos esse omnibus prius amissis, quod & mulieri annorum octoginta accidit, ut perhibet AMBROSIUS PARÆUS; & vetulæ post tertium & sexagesimum annum hoc idem accidit *Cent. I. obs. 94* & JOH. SCHENCKIUS plura allegat exempla, in *die Breslavischen Geschichte der Natur und Kunst*, singularem plane casum referunt, in 34. Versuch pag 66. sub hoc titulo: Einer 66. jährigen Frau wachsen Zähne und stat der grauen braune Haare und Versuch 34. pag 66.

§. XX.

Tandem nonnullos casus, partim in nostra urbe, partim in vicinia obvios, & in recenti memoria adhuc mihi versantes, adjicere liceat. Cuidam juris utriusque candidato anno ætatis vigesimo quarto dentes quatuor molares, non sine insigni dolore aliisque symptomatibus connexis; & alio Theologiæ Studioso unus dens molaris anno vigesimo quinto, multis doloribus & tumore insigni stipatus succrevit; nec non duabus virginibus anno vigesimo quinto & vigesimo octavo, in vicinia dentes hi molares proveniunt, ex quibus una sub motibus convulsivis dentiebat.

§. XXI.

Sufficiat nunc, tam multa exempla allegasse, unum hocce tantum moneo. Primo nec insolitum, neque rarum esse, hominibus hosce dentes, quacunque etiam sit ætate, renasci; ut KORNMANNUS loco allegato §. XIX. censet: sed omni tempore ac omni ætate in hac vita hoc venire.

C

§. XXII.



§. XXII.

Secundo negari non potest, dentes renasci, ut VALVERDA vid. supra §. XVI. asseverat: sed hisce exemplis satis superque comprobatum est; dentes omni tempore, omni ætate, & in vita longæva plus, quem una vice posse renasci. Quapropter ego censeo, & credo, primos homines, qui tam multos annos vivendo attigerunt, sæpius dentes renovasse, in qua sententia me confirmat VERULAMIUS in *Historia* sua, ubi etiam plane singulare exemplum refert comitissæ cujusdam Desmodiæ, quæ vixit ad annum centesimum quadagesimum, & dicit ter illam per vices in vita hac longæva dentiisse, conferantur etiam de hoc casu *Act. Natur. Curios. Dec. I. obs. 112. pag. 388.*

§. XXIII.

Tertio ex supra allegatis auctoribus & exemplis cognoscimus, tempus eruptionis & annos certis & determinatis limitibus non posse circumscribi; sed omnem ætatem, omnem sexum aptum esse, ad illos procreandos, terminumque durare usque ad finem vitæ; immo si fabula vera esset, finita vita illos incrementum capere, ut KORN-MANN in *libro de miraculis mortuorum pag. 3. cap. 42. in libr. de mirabil. Pblee. trat.* memoratur, tempore Tiberii in Sicilia cadavera aliquot mortuorum effusa fuisse, quorum dentes longitudine pedem viri superarint. Mirum si verum, sed plane dubito.

§. XXIV.

Ast progredior ad uberiorem thematis mei explanationem, consideraturus modum, quomodo hi dentes in adultis succrescant; de hoc conferantur *Acta Natur. Curios. Dec. II. an 9. obs. 212.* ubi sequentia de dentibus primis,



mis, secundis, & ultimis, id est sapientiæ c. ferotinis proponuntur, quæ non nihil ad hancce meam propositionem dilucidandam faciunt atque ita sonant. Dentes incisores in utraque maxilla e loculamentis suis post aliquot ab ortu mentes in infantibus erumpere in vulgus notum est. Primi hi sunt & reliquorum prodromi. Vidi tamen duos fratres germanos, quorum unus quatuor, alter quinque ætatis annos expleverat, quibus in maxilla superiori dentes deerant. Cum igitur incondito sono & blæsa locutione animi sensa exprimerent, a parentibus consultus, nullum remedio locum esse, recessi, fore tamen, ut septimo ætatis anno demum erumperent, divinavi, & sane, quod prædivinaveram eventu non caruit. Eruperunt namque septennibus, cessante incondita loquela & blæsitate. Defueruntne in maxillæ alveis cum materia mucosa folliculi, ex quibus dentium ortum in fœtu deduxit ANDR. SPIGELIUS (quod in sexagenaria illa a primo ortu edentula apud BORELLUM *Cent. II. obs. 41.* contigisse, verò non est ab simile, & post aliquot annorum decursum ἀπὸ τῶν σπιτῶν καὶ τῶν ποτῶν, quæ HIPPOCRATIS mens est, progeminantur. Sed hoc mihi in illo casu difficulter persuadere patior, cum Bartholomæus Eustachius in maxillis nuper natorum apertis observavit dentes, non solum una serie partim mucosos, partim osseos in præsepulis dispositos; sed & his artificiose separatis novum deprehendit minutulorum dentium ordinem, qui, folliculis inclusi, sensim accrescentes, primis decedentibus succedunt. Immo posteriores & extraordinarios dentes, quos sapientiæ quidam vocant, in calvariis mortuorum adhuc latuisse, ANDREAS VESALIUS cuiose demonstravit.



§. XXV.

Ex his verbis allegatis patet, dentes omnes jamjam in præsepiolis suis latitare, & uno locum suum derelinquente alterum subsequi. Hoc ego quidem non plane rejicio, sed meam quoque mentem modeste ac placide propono. Concedo quidem, ANDR. VESALIO dentes ferotinos in alveolis mortuorum latitantes, primis decedentibus succedentes, invenisse, sed ex hoc non sequitur, illos in prima formatione fetus in utero duplici vel triplici ordine jamjam compositos fuisse, & deinde tempore suo suum in- & accrementum nec non consolidationem sumere, multo magis arbitrator, ejusmodi mortuos illo tempore e vita emigrasse, quo natura occupata fuit in formandis dentibus ferotinis, emortui vero in hoc actu, cum nondum ad perruptionem dentes pervenissent, omnino in suis receptaculis adhuc latitantes, a VESALIO sunt reperti. Sed Bartholomæum Eustachium quod attinet, nulla re persuasus, credere possam, illum vere duos dentium ordines in præsepiolis latitantes reperisse; sed materiam illam mucosam in hæcæ cavernulis obviam, nec recte secernendo, nec legitime distinguendo se duos dentium ordines, vidisse, asseveravit; cur non tertium etiam ordinem adjecit? si enim exemplis confirmatur, homines quoque tertia vice in vita dentire posse, ad illam sententiam firmandam tres dentium ordines adesse debent. Nunc autem exemplum allegavi, Comitissam Desmodiæ ter in vita dentiisse, ergo tres dentium ordines adfuerunt. Si itaque adfuerunt tres ordines, quam diu tertius ordo latitavit, usque dum ad perruptionem pervenit; potest vero illa materia mucosa per centum & plures, annos incorrupta quiescere, aut re-

NOVA.



novatur illa materia singulis diebus hebdomadibus & annis, & nova loco veteris seponitur, aut statim in ossam duritiem transit? si hoc est, unde longam illorum quietem per centum annos derivas? nam in illo tempore nec crescere nec dilatari potuit, omnes vero reliquæ partes totius hominis & membranæ, tendines, arteriæ, venæ, cartilagine, & ossa, omneque id, quod hominem constituit, tantum incrementum capit, ut illud maximopere admireris. Si vero hoc quoque exemplum tertia vice dentientis Matronæ seponerem, nec non etiam dentes serotinos, qui etiam octogesimo, nonagesimo & ultra, anno prorumpunt & solum duos illos ordinarios & omnibus cognitos actus dentitionis, acciperem, eadem tamen difficultas remanet. Nam nec illa materia mucosa per septem illos annos coercenda esset, cum ex pingui s. oleoso terrestri aquoso salino principio consistit; nec etiam, si ossa esset, per hosce annos, cum omnia florent, vigent, & augmentum capiunt, sola in otio sepulta quiete frueretur.

§. XXVI.

Exposita aliorum sententia, meam etiam subungere liceat. Clarum est, principium vitale in dentitionis negotio humores ad locum destinatum & congruum, id est, ad cavernulas illas advehere indicio auxilium naturæ adesse, & tempus vel ad ædificandam vel ad renovandam molam illam naturalem adpropinquare. Quapropter etiam hocce principium ex hisce adfusis humoribus particulas necessarias, id est lymphaticas mucosas oleoso-salino-aqueo-terrestres portiones & quidquid contribuit ad construendos illos, seponit; quod autem natura multos humores illo tempore ad hunc locum ex aliis locis sibi in auxilium



vocando, adfundat, inde liquet; quod, primo tumor ibi & ex- & interne fit conspicuus; secundo, quod accedat salivatio, ut aqua ferrarii fabri. Tertio multa alia signa pro diversitate temperamentorum hunc actum concomitantia id idem comprobant. Ex his igitur in fossulis sepositis particulis artista ille sapiens pro sapientia sua, vasa sanguifera & arteriosa, nervos, membranas, tendines atque ossa, quibus præsertim dentes molares ferotini sunt instructi, extruit atque format. Hi dentes quoad rudimenta nunc in cavernulis suis collocati atque sepositi, amplius nutriuntur, & in dies incrementum suum capiunt, usque dum cavernulæ spatium implevere, & cutim titillatione adficiunt, membranasque in porta dilatatas haud sine dolore & incommodis de quibus infra agendum mihi erit perforando rumpunt; unum tantum monere superest.

§. XXVII.

Quæritur num ossa dentium crescant, nec ne? negatur quidem hoc in *Actis Erudit. Lips. an. 1703. Mens. Jun. pag. 259.* circa dentes adultorum observatur, non ipsum os dentis, sed ejus solum crustam (ac velut encaustum) ab osse omnino diversam crescere. Attamen ossa dentium omnino crescere arbitror. Nam si corpus, si reliqua ossa ob consumptionem quotidianam quotidie lymphaticis humoribus nutriuntur, in dies etiam augmentum capiant, necesse est. Si vero omnia membra & partes hoc beneficio fruuntur, cur non etiam dentes? objiciat quispiam ex supra allegatis verbis KORNMANNI, si dentes crescunt in adultis, tandem tantam magnitudinem adepturi essent, ut & pedis magnitudinem, quam cadavera mortuorum in Sicilia effossa habuerunt, superent. Ad hæc respondeo:  
verba



verba KORNMANNI allegata, non ut certam & evidentem veritatem assumo. Secundo dentes quotidie minuuntur, & aliqua portio abraditur; fulcrum enim pontis in aqua collocatum ab aliis dentibus aquis vi sua infringitur, & quoad magnitudinem decrementum patitur. Lapis molaris frumenta conterendo & conquassando consumitur: quid mirum, si mola nostra artificiosissime quidem exstructa, at tamen destructioni quoque obnoxia a cibis masticandis, conterendis, molendisque, ab ad- & expulsiōe salivæ, aliarumque rerum allisione in vi & magnitudine minor reddatur; necesse igitur est, ut decremento accrementum sequatur, alias omnes dentes brevi perirent. Quapropter, ut hæc imminutio in integrum restituatur, necesse est, quod fit, vel per restaurationem totius, ut in secunda dentitione & dentibus serotinis; vel per in- & accrementum partis quæ minor facta ut in quotidiana renovatione. Quia vero os ipsum obtusum & imminutum redditur, hisce ossibus augmentum quoque competit, & hoc quotidie, quamquam in nostros sensus haud incurrat. Nam sicut corpus nostrum, quoad torum per resolutionem sanguinis, per se- & excretionem & multos alios labores decrementum patitur, & tamen non solum cutis, sed & caro omniaque ossa simul novis particulis ex adducta lymphæ accrescendo reficiuntur: ita etiam ossa dentium & non tantum crusta illorum, de novo recreanda est.

§. XXVIII.

Quo vero nutrimentum capere possint, vasis sanguiferis & nervis imprimis dentes molares gaudent, ut ex *Actis Erudit. Lips. an. 1725. Mens. Jul. pag. 31.* constat; ubi verba ita se habent: Vasis dentium probe prius repletis per



per substantiam dentium molarium serra divisaſum nervi & vaſa ſanguifera pariter ac per alia oſſa obſervantur diſperſa, it. B. RICHTERUS, vir pierate & peritia olim clarus in ſeinen medicinſchen Unterrichts pag. 130. ſcribit: Die incifoſes haben nur eine Wurzel, die canini zwey, die molares drey, manchmahl auch viere. Es befinden ſich auch arteriæ, venæ, und Nerven an denenſelben. Die Arterien kommen aus denen ramis externis carotidum, die venæ aus denen ramis externis jugularibus und die Nerven aus dem 5ten Paare.

C A P. II.

*De indiſiis Dentium ſerotinorum.*

§. I.

**I**n genere & quo ad omnes partes conſideratis hiſce dentibus ſerotinis, ſapientiæ alias diſſis, nunc ad alteram tractationis meæ partem progredior, & indiſia, quæ ſerotini hi dentes ſera hac eruptione præbent, conſidero.

§. II.

Præbent vero hi dentes prædiſtionem futurorum homines vitam longam, firmam ſanitatem, & vigorem ſingularem naturalem, adepturos eſſe. Sapiens enim nunquam ſat ſapit, ſed majora capit incrementa, & uſque ad finem vitæ ſapientiæ ac eruditionis veſtigia quærere, premere, eaque multo ſudore omnique ſtudio perſequi, allaborat. Cum itaque homo vita longa gaudet, majori prudentiæ gradu imbuitur, quod tanta multitudo celeberrimorum, doctiſſimorum, & ſapientiſſimorum virorum, quibus noſtra Muſarum cohors, & Parnaffus noſter coronatur,



natur, satis superque comprobat, nec non id multa alia exempla partim ex aliis locis, partim ex aliis bonarum artium sedibus & Minervæ nostræ palatiis stabiliunt & egregie confirmant.

§. III.

Indicat quoque vegetam, alacrem, & in omnibus suis actionibus excitatam naturam. Nam principium vitale, si hisce dotibus instructum est, non quiescit, nec victas pigritiæ manus dat, sed omnia in & extra corpus suum obvia accurate observat, & pro ratione & conditione rerum vel assumit vel rejicit.

§. IV.

Cum itaque sentit, dentes adhuc deesse in machina hac artificiosissima, producit & procreat illos, ubi adhuc ullum spatium superest; quo rubustis indiget viribus & si adest sana talis atque vegeta natura, longam quoque vitam, ut plurimum, homines consequuntur. Si vitam longam consequuntur, etiam omnes & animi & corporis vires & facultates adaugentur, & in dies mentis operationes felicia capiunt augmenta. Si itaque omnia nunc rite & legitimo modo succedunt, illud quoque principium corpus inhabitans, atque gubernans hisce donis delectatur, ac prospere naturali fruitur vita.

§. V.

Quam ob rem indicium est, principium hocce vitale meliori vigore ac robore suum inhabitare corpus. Quapropter novis instrumentis, hoc est, dentibus serotinis, illud exornat. Hoc vero sequenti modo stabilio atque confirmo.

D

§. VI.



§. VI.

Quicumque artifex ædificium suum pulcre & artificiose jamjam constructum, non solum factum tectumque conservat; sed illud etiam novis ornamentis instrumentisque exornat, ille eodem delectatur ædificio, atqui sapiens artifex corporis nostri hocce artificium suum in ordinario statu factum tectumque conservat, proinde etiam & novis instrumentis atque ornamentis, dentibus inquam serotinis molaribus, exornat; Ast qua ratione principium hocce vitale, ut spiritus, ratione præditus, rebus hisce terrestribus, ex parte impuris & corruptioni ac depravationi obnoxiiis delectari potest, ut claustrum hoc egregie exornet & ægerrime ex eadem migret?

C A P. III.

*De malis atque incommodis hanc dentitionem concomitantibus itemque de horum dentium utilitate.*

§. I.

**A**D tertiam partem nunc me convertens, in ea incommoda & mala hanc seram dentitionem concomitantia, vel antecedentia, vel consequentia, itemque utilitatem, quam hi dentes adferunt, perpendo atque perlustro.

§. II.

Quemadmodum in prima dentitione in infantibus multum incommodi hocce negotium secum fert: sic etiam serotinis hisce dentibus, si prorumpunt, non levia solum incommoda, sed interdum quoque dira symptomata  
sub.



subsequuntur. Nonnulla vero horum symptomatum allegare & in medium proferre consultum erit.

§. III.

In genere notandum est, quod pro diversitate temperamentorum, habitus corporis, ætatis, aliarumque etiam rerum symptomata variant, & vel leviora, vel graviora, corpusque magis adfingentia, deprehendantur. Sic in moderatis, & non adeo sensibilibus, mitiora sunt omnia, quam in plethoricis, sensibilibus, impetuosis ac immorigeris. Sic in Sanguineo-Melancholico, nisi insigni plethora laboret, est quasi lusus naturæ & facili opella omne negotium peragitur; quod vero non de omnibus, sed de multis dictum sit. Contra vero in emittente Melancholico & Cholerico, vel cum attentione, vel cum hæsitatione, vel cum impetu & desperatione hoc negotium perficitur, & ibi sæpius dira symptomata concurrunt.

§. IV.

De his malis, dentitionem subsequentibus **RIEDLINUS** in *Lineis Medicis an. V. Mens. Maj. obs. s. pag. 45* sequentia proponit verba: Sunt plura quidem incommoda, quæ unice a dentitione derivanda esse nemo dubitat; quotus quisque enim salivationem illam, qua infantes corripuntur, aliunde derivat? quis in diarrhæa sub illud tempus, quo dentes erumpere solent, & de alia causa sollicitus est? Quis achores, quis ophthalmiam aliunde derivat? omnia hæc sæpe a dentitione originem trahunt. Melancholia immo mors, item virium prostratio & ingens dolor, exinde natales suos ducunt. Exemplo fit virgo viginti annorum, quæ itidem cervicis dolore per omnia mem-



membra sese extendente laborare, hincque ex accedente Melancholia aliorum confortium summe fugere cepisset. Mater hæc omnia mensibus minus rite fluentibus adscripsit, nec me prorsus dissentientem habuit. Medicamentis vero alias hic laudatis frustra in usum vocatis & dente postea novo in maxilla sinistra inferiore erumpente, sponte omnia cessarunt, hinc omnia potius huic tribuenda fuisse, sat constat.

§. V.

Unde nunc ingens dolor, unde prostratio virium, unde achores, unde ophthalmia, unde salivatio, & omnia mala morbique in hoc actu obvia? unde veniunt? quid volunt? Natura salutari destinatione multos humores ad locum huncce adfectum defendendum, ad hanc molam ad hoc negotium quoque facilitandum cum impetu largiter propellit, quo fit, ut ab oppletionione & accumulatione dolor insignis, subsequente tumore, oriatur. Et ex hoc oppletionionis fundamento, ophthalmia, achores, & salivatio originem ducunt.

§. VI.

Prostratio autem virium unde oritur? si humores ab inferioribus ad superiores, ab externis ad internas transferuntur, tunc in inferioribus spasmi exoriuntur, lassitudo quoque & torpor membra detinet, dum strictiones tales partium mobilitatem impediunt: Ex hoc facile percipimus, mortem ipsam hujus ardui negotii sequelam esse posse.

§. VII.

Aliud exemplum sese oculis nostris objicit in *Actis Natur. Curios. Cent. I. obs. 107.* femina quædam nobilissima

ma



ma de M. annorum L. firmæque valetudinis, per diuturnum temporis spatium dolores circa dentes molares in superiori maxilla dextri lateris, illis quidem omnibus integris atque salvis, satisque validis, patitur, variaque remedia ad odontalgiam alias probata, aliaque pro temperanda & demulcenda acrimonia lymphæ, usurpat, sed absque ullo levamine, urgentibus hinc doloribus, & instantibus motibus convulsivis, præter spem quinque novos dentes paulo minores *ἐπιγνομένους*, seu juxta vel potius supra dictos molares ex illa ipsa gingiva erumpentes, persentit, cessantibus dehinc doloribus. Verum dentes illi *ἐπιγνομένοι* admodum molesti asperitate sua interna molæ cuticulam roderunt, tandemque post annum circiter successively absque aliqua notabili sensatione iterum exciderunt.

§. VIII.

Habemus hic aliam speciem mali dentitionem hanc concomitantis, motus puto convulsivos, qui motus e familia motus tonici existunt: & propter gingivarum tenacitatem & sensibilitatem individuorum excitantur, quo cuticula seu membrana nervosa accumulatis in illum locum humoribus eo facilius dissecetur, illaque disrupta dentes progerminare possunt. Hæ convulsiones satis sæpe dentitioni admodum præjudiciose ac fatales, insuper facile pertimescendæ sunt, nam ut plurimum parum boni involvunt, & si natura mature finem suum consequuta est, sponte quidem hi motus evanescent.

§. IX.

Attamen negari haud potest, quod interdum etiam, si nimis operose atque anxie principium vitale in hocce negotio egerit, nihil aut parum effecerit, nec finem suum



consequutum fuerit, præcipue in tenerrimis infantibus, ubi facillimo negotio ad duo illa extrema intensionem & abjectionem motuum delabitur, omnes vires exemplo deponat, abiciat, & corpus deserat; & sic ex uno errore in alterum, ab uno extremo ad alterum in hac perturbatione confugit, nihilque certi invenire potest, quod vero miserrimi, ac nunquam satis deplorandi lapsus nostri triste est conspectarium. Et sic dentitio sæpe via plana ac trita ad præmaturam mortem evadit.

§. X.

Aliud quoque exemplum prostat virginis cujusdam in vicinia nostra viginti quinque annorum, cui sub motibus convulsivis & insignibus doloribus dentes hi serotini molares prorupere; post actum vero dentitionis convulsiones cessarunt.

§. XI.

Non autem solum convulsiones, sed & febres sæpius huic negotio complicantur. Sic alia virgo febre corripiebatur sub hac sera dentitione. Hæ febres non semper diu durant, sed brevi transeunt, suntque vel febres ex primis viis tertianæ, vel ex massa sanguinea commota, synocha; nam commotio illa fit in dentitione, & si plethora adest, synocha febris procedit. Si vero vitium in primis viis hæret, interdum hac febre intermittente illa cruditatibus collectanea repurgantur.

§. XII.

Perpicuum itaque satis & clarum est, multa mala hisce dentibus se fociare, sed alia etiam supersunt, quæ non minoris sunt incommodi. Sic *Act. Erud. Lips. communicant animalcula dentis molaris anno MDCCXIX.*  
Mens.



*Mens. Jan. p. 12. Epist. 110. ad societatem Londinensem Anno MDCXCVII. data describit cochlearum ova, ex quibus cochleæ non excluduntur, nisi terræ humidæ permixtis, radices ex grano tritici propullulantes, & ingentem animalculorum numerum, quem in materia ex dentis molaris radicum cavitatibus exempta & aquæ pluvie permixta sub microscopio conspexit. Et alio loco non nullos horum dentium vermes *Act. Erudit. Lips. an. MDCCXV. Mens. Sept. pag. 410.* depingunt.*

§. XIII.

Unde horum animalculorum progenies derivanda sit, mihi quidem explicare non incumbit; attamen eorum sententiæ accedo, qui statuunt, hos vermes in dentibus a carie excavatis optime innidulari posse, & in humoribus mucosis tenacibus ac viscidis cum frustulis carnis sæpius remixtis, ibique stagnantibus & sepositis, in putredinem traductis, facile oriri & progerminare.

§. XIV.

Insuper alia mala præcedunt, quæ his vermibus nidus præparant. In hunc censum non inique refero supra nominatam cariem ossium, infensissimum & frequentissimum horum dentium malum, quod non solum omnium dentium interitum certo, nisi in tempore resistatur, non tantum minatur & inducit, sed etiam multis malis e.g. insignibus doloribus aliisque non minoris gradus cruciatibus concomitatum incedit.

§. XV.

Hæc caries a multis causis derivanda, ejusque origo, multisque verbis satis dilucide circumscribenda esset; att  
bre.



brevitati studens, duas tantum causas, quæ frequentissime in multis huic malo anam præbent, allegabo.

§. XVI.

Prima est, nimius usus Sacchari, quod & tenellulis & ad plures annos proventis prodige nimis a materculis ex amore offertur, sed in magnum sæpius detrimentum infantum. Nam saccharum chymice consideratum particulis Sulphureo-oleoso acidis & terreo alcalinis gaudet. Particulæ vero sulphureo-acidæ dentes interveniente Saliva arrodunt, & denigrant, quæ deinde magis magisque dentes arrodunt, perforant, atque excavant; & hoc ab uno ad alterum transit, nisi in tempore communis methodus, id est, extractio felici & experta manu, applicetur.

§. XVII.

Altera causa sunt juscula nimis calida s. ferventia, & omnes cibi, & carnes coctæ & assatæ igneum vaporem adhuc spirantes, quæ itidem dentes eorumque crustam adurunt, & punctis nigricantibus, signo & indicio cariei, eos designant. Hæ duæ causæ originem cariei comprobare sufficiant.

§. XVIII.

Quamquam alia adhuc mala dentibus familiaria obvia restant; tamen, omnes ambages fugiens, ad utilitatem, quam hi dentes serotini adferunt, perlustrandam me convertō. Utilitas vero & commodum præcipue in eo consistit, quod primo masticationem solidissimorum & compactorum ciborum promoveant, nam carnes fumo obduratæ & nuges & aliæ res duræ illorum opæ minuuntur, & aperiuntur, & sic cibis optime contritis  
con-



concoctio atque digestio facilitatur, & multi morbi ex hoc fundamento præscinduntur.

§. XIX.

Secundo elocutio iis facilitatur, nam si mœnia ista sunt clausa, & rima in iis non deprehenditur, nec linguæ nec sono impedimentum obijcitur; sonus enim æquali motu allisus & impulsus, proportionatam atque elatam vocem efficit, nec balbutire nec hæsitare linguam sinit, & quantum hujus cinguli integritas in elocutione efficit, unusquisque ex defectu illius addiscit, quam tremula enim, quam balbutiente & hæsitante lingua illi omnia verba protrudant, omnibus exemplis quotidie obviis innotescit.

§. XX.

Tertio ex indiciiis etiam huc refero utilitatem non minimam, sed aliis palmam præripientem, vitam longam puto, quam dentes serotini promittunt. Si enim vegetæ naturæ indicium sunt, sequitur, quod etiam vegeta illa natura, si incongruo vitæ genere & aliis noxiis rebus non infringatur, vitam longam promittat. Vitam vero longam ad commoda, utilitatem & gaudium, quibus homo fruitur, pertinere atque omni jure referri, nemo est, cui ullum aliquod dubium superesse possit.

§. XXI.

Omnibus hisce igitur, quæ ad dentes sapientiæ s. serotinos possunt referri, consideratis, ultimo lectorem benevolum adeo, rogans eum quisquis sit, ut specimen hocce primum, pro viribus elaboratum, benevole optimeque suscipiat.

§. XXII.

Deus autem, qui est summa veritas, adsit mihi porro, meque in omni veritate ambulare jubeat, spiritu suo ducente & concomitante; fortunet ille studia mea, & Theologica, quibus antea addictus eram, non sint abscondita



ditam in meis intimis. sed prodeat nunc in usum ægrotantium. quo gloria Dei coram læto ægrotorum a me amplificetur, meque non solum ut medicum & curatorem corporis, sed & ut medicum & curatorem animarum exhibeam. Quod ut felix faustumque sit, jubeat summum nomen, quapropter me commendatum sibi habeat, portumque & in medicina & theologia patentem mihi aperiat; hoc est, quod enixe summis precibus ab illo mihi expeto.

NOBILISSIMO DN. CANDIDATO

S. P. D.

P R Æ S E S.

**Q**Uam evidens eminentisque Theologiam inter atque Medicinam cedat nexus, haud multis occupationibus indicare necessitas urget, siquidem illa divinam animæ salutem vitam sanitatem & sanationem, hæc naturalem fragilis & afflicti corporis integritatem ac conservationem respicit: Quantæ vero dignitatis atque utilitatis non fastuosa ac instans scientia, sed ingenua ac vera Praxis Pietatis in Medicina sit, innumera comprobant testimonia. *beatus enim omnia prospere facit*: quare B. LUTHERUS *Tom. 4 Jenens. f. 305. b* dicit: Viele Philosophi sind Speculiret die da sagen die Natur mache es so und so, aber lehren nicht was das bedeute, wie Christus die Arzenei sein ziehet zu der religion oder Glauben: addo effatum B. SPENERI *in Explicat. Ep. ad Coloss. IV, 14. 15. p. 178. 179*. Es ist dieses eine Ehre der Arzenei, daß ein Medicus unter die Apostolischen Männer und Evangelisten gewehlet worden: wie es dann eine



ae solche Kunst, welche wo sie mit Verstand und Furcht Got-  
tes geführet wird, ihres Nutzens wegen wohl den meisten  
menschlichen Künsten möchte vorzuziehen seyn: ob sie auch  
etwa nachmahls ihre Mißbräuche hat: qui author porro in  
*Concion. Funebr. Part. XII. Conc. 2. p. 30. egregie de Piete-  
te Medicorum docet: conf. B. DANNHAUERUS in Lacte  
Catech. Part. V. praef. column. 17. 18. nec desunt frequentes  
occasiones quibus pius Medicus spirituale sacerdotium  
praeter artem suam naturalem multa cum fruge exercere  
potest: Laudatus SPENERUS in praef. ad Abarv. Frieschii  
et JEJUS in allen scribit: Nicht weniger haben einige from-  
me Medici in ihren Wercken gezeigt, daß sie neben ihrer Pro-  
fession den Christl. Betrachtungen obgelegen, wann sie auch  
anderer Andacht zu erwecken Gottselige Theolog. scripra her-  
ausgegeben: extollit illico D. GEORG WIRTH, D. JACOB.  
HORSTIUM UT & SENNERTUM, quonos BOYLEI scripta  
Theologica referimus: praecipue huc duco verba SPENE-  
RI circa finem ejusd. praefat.: Was bedarfs viel Exempel  
in einer Sache die zu der Christen Pflicht gehöret oder da doch  
das Recht dazu unter die gemeine Christen Rechte gehöret:  
Wieweil will Gott allgemach mehr und mehr durch gottsel.  
Politiorum Eifer und Fleiß, das Reich Christi zu befördern  
unser vieler Theologorum sträßliche Nachlässigkeit beschä-  
men und uns eifern machen, daß nicht diejenige die allein aus  
der allgemeinen Verbindung des Geistlichen des Schaden  
Josephs sich angenommen, uns die wir auf doppelten Chri-  
sten und Amts Beruf dazu verbunden sind, mit ihrem meh-  
rern Fleiß vor jenen Gericht dermahleins verdammen müssen:  
quantum enim praestet valeatque probum exemplum &  
pium vivendi genus Medicorum, quo vera humilitate co-  
ram Deo, fide & fiducia in illum, ardentibus precationibus,*



abnegatione propriæ confidentiæ, sapientiæ, prudentiæ ac  
capacitatis, fuga avaritiæ, atque fastus, aliisque donis &  
characteribus Christiani veri, arti ingenuam operam, dant  
quotidiana edocet observatio & demonstratu haud difficile  
est; illi autem Theologi, qui pietatem pro quæstu habent,  
interea ventri serviunt, & lucri gratia inique alios judicant,  
non raro censoris suis proborum Politicorum dogmata  
& vitæ genus sine cognitione causæ, sensus, & interpreta-  
tionis denigrant, conspurcant, arrodunt & invadunt, non  
censum nostrum attinent, de quibus idem valet, quod con-  
summatus Theologus SPENERUS in *iv. erste geistl. Schrif-  
ten p. 476.* elocutus est: Es gehet noch vielmahl so, daß wo  
man mit Recht den wahren Lehrern und Bertheidigern der  
Wahrheit nicht zu kan, so ergreift man bald diesen bald jenen  
Ort aus dero Mund oder Schriften und verkehrets wider die  
Meynung selbst derjenigen, die da dasselbe geredet oder ge-  
schrieben haben und zeigt darauß tausenderley absurditäten  
und ungerühnte Sachen = und wie oft müssen noch heut zu  
Tag treue Lehrer dergleichen erfahren, daß ihnen eben dieses  
begegnet und was am besten gemeint und geredt, auch an  
sich selbst, wo es mit billigen Augen angesehen wird, ganz  
recht und der Christlichen Ehre gemäß ist, deswegen verlästert  
und bald dieser bald jener Kezerey oder Einstimmung mit  
derselben beschuldiget werden: id non modo contigit Beato  
huic Viro, sed hunc livorem satanas æque in alios ingenuæ  
probitati operam dantes & per suos Verbi divini pseudo-  
ac paganos Ministellos effundit ac ogganait: inde per sæ-  
pe contingit quod RAMAZZINI *Opp. orat. 4. p. 4.* exclama-  
vit: sic evenit, ut ars medica, non secus ac militaris suos ha-  
beat Fobios, suos Marcellos; quid quod cogitent pii Medici  
quando ab iniquis censoribus offenduntur, quod *Baronius*

ex



ex Chrysoſtomo ad ann. 324. in ſu. ait: cum effigies Conſtan-  
tini M. lapidibus percuteretur, ipſe caput ſuum attingens di-  
xit: atqui caput me integrum habere ſentio: haud vero  
talia pium Medicum deterreant, ni ſibi dictum æſtümēt Plus  
ultra, ex virtute in virtutem. Tu DOCTISSIME DN.  
CANDIDATE e tabernaculis ac Clauſtris Theologiæ  
transiens, Medicorum, tandem ut ipſe ad finem diſſertatio-  
nis Tuæ ſignificas, chorum & forum ingreſſus es, in quo  
meliores progreſſus facere ſperas: ſunt omnino aliquot  
anni, quibus variis ſtudijs te addixiſti, ita ut tandem in Me-  
dicina acquieſcere utile ac jucundum tibi viſum fuit: ſunt  
etiam anni quibus rei medicæ operam aliquam dediſti:  
haud infructuoſum erit veram Theologiam cum ſincera  
Medicina combinare: medici enim officium eſt corporis  
integritatem promovere, Theologi autem cura erit animæ  
ſalutem adjuvare: optimus autem ille erit medicus, qui ce-  
leſti ſapientia munitus, quippe bonus Theologus artem  
exercet. Tu itaque poſt abſolutum curriculum Studio-  
rum Academicum ſobrijs dogmatibus, præceptis & regu-  
lis optime inſtructus & ſub dexterrima maximeque aſſi-  
dua Doctorem inſtitutione & manu ductione educatus ſuf-  
ficienter excipere & in exoptatum uſum convertere po-  
tuiſti, quæ ad ſalutiferum artis exercitium ſpectant: Poſt-  
eaquam enim in examinibus conſuetis modulum profe-  
ctuum Tuorum in re medica acquiſitorum non improban-  
dum exhibuiſti, ita diſſertationem Inauguralem quam pro-  
prio ſtudio elaboraſti ſub aliquali lima & moderamine meo  
defendere contendis: tractat illa argumentum Dentium  
Sapientiæ, & ne theonino dente quiſquam illud arrodāt,  
ita reminiſcor illius dicti Proverb. IV. 7. principio ſapienti  
compaſa ſapientiam & ſumma ope compaſa prudentiam: in  
E 3 hac



hac enim consistit nervus nexus Theologiæ cum Medicina. Hac divina sapientia fretus, non habebis, quo de salutaribus progressibus in officio medico ambigas. Et tales prosperos rerum successus in futuro artis medicæ exercitio Tibi toto corde apprecor, quo indies sub ingenua veneratione cœlestis directionis, de felici mutatione studii, sed continua insuper combinatione utriusque gaudere possis. Vale dab. Hal. Magdeb. XII. Calend. Septembr.

A. R. S. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>ccc xxxvii.

PRÆNOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

M. JO. GOTTLÖB KRÜGER.

**M**otus quantitatem conservari sibi persuaserat Cartesius; non autem esse motus, sed virium quantitatem, quæ in actione corporum in se invicem conservatur primus demonstravit Illustr. LEIBNITIUS; quod etiam experimentis extra dubium ponitur, ut mirandum Cartesium propositionis suæ falsitatem non agnovisse. Cum igitur corpora gaudeant viribus motricibus, fieri omnino potest, ut hæc viribus tantum resistatur, ut motum nullum producant, producturæ eundem, sublata resistantia, nulla interim vi perdita. Sint vires contrariæ, quarum differentia sit infinite parva, & hæc differentia erit vis, cum igitur vis nulla pereat: hæc vis tempore infinite parvo producet motum infinite parvum, id est non sensibilem. Sed quem fugit, quantitates infinitas infinite parvas finitæ adæquari? ergo & talis vis per notabile temporis spatium agens producet motum finitum, & sic effectum sensibilem satisque notabilem. Satis huius propositionis veritatem dolent antiquitatis amatores, qui sepe in marmoris monumentis litteras ad o delatas tempestatis injuria



iuria observant, ut curiositati suæ satisfieri nequeat; tempestas autem hanc litterarum deletionem, non nisi, per aliquot secula efficere valuit. Pertinet huc, quod possideo, horologium, solis & planetarum motus, per integrum annum contingentes accurate indicans, quod ita ab artifice constructum erat, ut pondus appensum, non, nisi semel per annum, ad renovandum motum, opus esset at tollere. Dicta machina inter alia, incipiente novo mense, mensis nomen exhibet, indicat & mensis diem. Iam si apparere debet dies primus Ianuarii: hæc combinatio huius nominis cum dicto numero per integrum annum non, nisi semel contingit, interim, quamvis hic motus sit lentissimus, tamen perdurat, & instante dicto die, mensis nomen & numerus diei simul & semel comparent. Ad eiusmodi motus lentissime procedentes, & tamen post determinatum tempus effectum satis notabilem exhibentes refero tantum non omnes criticas & in annis climactericis contingentes mutationes: corpus enim humanum esse machinam infinita infiniti Dei sapientia constructam, nemo facile in dubium vocabit. Atque hinc inepte agere mihi non videor his etiam effectibus generationem dentium sapientiæ annumerando, cuius rei tamen modus fieri specialior sine interiori physices & anatomie cognitione distincte evolvi posse mihi non videtur; quare illum iam mitto, præsertim, cum hæc eum tantum in finem attulerim, ut occasionem nanciscerer Tibi, DOCTISSIME DOMINE CANDIDATE, de suscepto hoc labore gratulandi: suppeditat enim Tua proprio Marte elaborata dissertatio observationes selectiores, quibus infistere debet qui in hisce ingenium exercere voluerit. Ego vero Tibi, de hoc egregio studiorum academicorum specimine ex animo gratulor, atque me benevolentie Tux ulteriori commendans nihil magis in votis habeo, quam ut ex præcicis Tuis laboribus, in quibus quantum valeas, noverunt omnes, fructus in rempublicam redundent yberrimi: sanitatem enim hominibus comparare, est



est illos vere felices reddere; hinc medicina recte dicitur sapientia; suppeditat enim media optima ad optimum finem. Dabam Halz Magdeb. a. d. XVII. Aug.  
MDCCXXXVII.

**G**ratulor ex animo Tibi, qui nunc carpis honores  
Dignos & studio & sedulitate tua.  
Unoquoque die fias ut *Doctior*, opto;  
Nam satis hanc artem discere nemo potest.

*Egros edoceas, Te trudere corpore morbos,  
Ac animo dulcem ferre salutis opem. (\*)*  
Ostendas, alios Te etiam bene posse docere,  
Sic Tibi *Doctioris* nomen & omen erit.

(\*) Utrunque præstare per Dei gratiam poteris, quia antea fuisti  
Theologiz, nunc Medicinæ Candidatus.

Joh. Justus von Einem, Cognatus  
V. D. M. Oltervv. Magd.

**M**in ist geehrter Freund, der frohe Tag gekommen,  
Da Dich nach Müß und Fleiß Minerva krönen will,  
Hygæa hat Dich schon vor längststen aufgenommen,  
Deswegen wünsch ich Dir des Höchsten Seegens Füll.  
Joan. Christ. Frid. Bonegarde,  
Med. Doctorand. Halenf. Magd.

**F**reund, nimm den wohlverdienten Preis,  
Er ist der Lohn vor Deinen Schweiß,  
Dir ist es nach Verdienst gelungen.  
D schrieb ich, wie Du würdig bist  
So spräche jeder, der dich liest,  
So schön ist nicht bisher gesungen.  
Zeit, nimm die Feder in die Hand  
Und mache Deichmanns Ruhm bekannt,  
Gieb mir Gelegenheit zu zeigen  
Ich sey als wahrer Freund sein eigen.

Timotheus Just Lange,  
Halenf. Magdeb. Opponen.













80 A 6469 (1)

ULB Halle 3  
002 937 28X




TA-70L

R

UDMA









40

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE

# DENTIBUS SEROTINIS

SIVE  
SAPIENTIÆ VULGO DICTIS,

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medica,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R Æ S I D E  
PRORECTORE MAGNIFICO

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.  
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.  
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,  
HORIS LOCOQUE CONSVETIS,


ANNO MDCCXXXVII. D. AUGUST.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

A U C T O R  
**ANTON PETRUS DEICHMANN,**

HALENS. MAGDEBURGICUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Inches

Centimetres